

UNIVERSITEIT DE LUYK

CORRESPONDANCE
DE
J. P. BOISSONADE


II
F-M

BIBLI.
DE
L'UNIVERSITE
M.S.
1559



BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M S.

1552



MS
Fiches faltas

Correspondants
de
J. F. Boissier

Ms 452.

II

F. M

ec. 30.
me 17. 881
Viro Summe Reverendo atque Clarissimo

Joh. Francisco Boissonade

Florianus Meilinger Presbyter Benedictinus et Philosophiae Pro-
fessor in Lycei Regio Monasterii S. I. P.



Novam Ocelli Lucani editionem una cum versione
in germanica et variis lectionibus parare constitui.

Licet autem ex indice Montefalconio afferari in
Bibliotheca Coisliniana Codicem Combycinum Ms saeculi XIV,
in quo est Ocelli Lucani Liber de natura Universi fol. 212.

Ex collatione huius Codicis, quod saepe inediti nec
unquam collati magnum, ut opinor, ad sananda Ocelli vulnera
adiumentum parari mihi posset. Nam et Viri summe Reverendi
Jacobus Morellius ac Franciscus de Furia variantes Lectiones,
unus quidem de Codicibus duobus Venetis, alter vero de Codice
Mediceo summa liberalitate ad me transmiserunt.

Oro Te igitur, Vir praestantissime, atque obsecro, ut et Tu
lucubrationibus meis faveas et Conferendi Laborem pro Tua
benignitate suscipias.

Ad Collationis fundamentum eligere Tibi placeat five editionem
Battaesii Parisus 1768, five Vizzanii Bononiae 1646, five D'Angersii 1762.

Ad recensenda Ocelli verba, praeter codices Venetos et Medicum,
novem huc usque editiones sedulo comparavi; Battaesiana vero editio
paulo ante excitata omnibus reliquis longe praeferenda. Neque enim
praedicti codices vulnera Ocelli sanant, quemadmodum Codex Regius
Parisinus No 1928. Miror autem, Battaesium de Ocello omnium
optime promeritum antiquitatem huius Codicis, quo usus est ad
emendanda loca maxime corrupta, nusquam indicasse. Qua in re
ut me edoceas, Vir doctissime, vehementer Te rogo. Codex iste
Parisinus omnibus forsan antiquior nova collatione haud esset indignus,
quam tamen a Te petere, Vir benignissime, vix audeo.

Contuli porro editionem principem Parisus impressam per Conradum
Neobarium anno 1539 in 4^{to}, opus, ni fallor, in posterioribus editionibus
vix aut ne vix quidem collatum. Ignoro autem, cuius saeculi sit
Codex Parisiensis a Neobario. Typis excusus; Battaesius enim nihil nisi
haec memorat: Ocellus fut imprime' pour la premiere fois a
Paris en 1539.

Quod si Ocellum meum Troclo Tuo non absimilem ~~adornare~~ adornare
mihi contigerit, cuncta me praestitisse putabo.

Vale, Vir praestantissime, et pro humanitate Tua popularibus meis
notissima, fave homini ad mutua officia paratissimo.

Libetam Monachii in Bavaria die XXIV. Julii MDCCCXVII.